

# SANCTI GREGORII EPISCOPI TURONENSIS

## FRAGMENTA COMMENTARII IN PSALMOS.

Incipit explicatio Florentii Georgii Gregorii de Titulis psalmorum

(Ex ms. Cod. Vaticano eruta a viro cl. Josepho Thomaso.)

**1257** Denique psalmi qui fugam persecutionem-  
que David explicant, ostendunt persecutionem pas-  
sionemque dominicam. Illi autem qui *In finem* in-  
scribuntur, perfectionem bonorum operum ostendunt,  
quia hic finis dissimilis est aliis finibus; cum  
illi habent terminum, hic replementum. *Finis enim*  
*Legis Christus ad justitiam omni credenti* (Rom. x, 4).  
*Pro torcularibus*, pro æternorum munera fructibus  
hymnus est. *Pro his qui hæreditabuntur*, retributionem  
sanctorum sive Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, ut  
hæreditatem capiant et regna cœlorum, docent. *Pro Octava*. Quidam hunc numerum Evangelii deputant,  
eo quod continentur in his octo beatitudines per quas  
venitur in regnum Dei; sive illius arcæ octo animæ.  
*In consummatione*, vel *dedicatione tabernaculi*, perfe-  
ctio Ecclesiæ intelligitur. *Pro his qui commutabuntur*.  
Populi Judaici de gentili, vel de Synagoga Ecclesiæ  
commutationem prædictit. *Pro occultis*. De adventu  
Filiæ Dei pronuntiat, qui Judæis occultus fuit. *Canticum resurrectionis*, id est, ipsius dominicæ resurrec-  
tionis veritatis. *Oratio Moysi hominis Dei*. Ad Legem  
revertitur, eo quod ipsa nos Redemptoris **1258**  
resurrectioni sociari pronuntiat. *Psalmus in Salo-  
mone*. Hoc est, pacifco in Christo, qui *est pax nostra*,  
cantatus intelligitur. *In confessione* vero docet ut ju-  
giter homo Deum et voce fateatur et eorde. Illi sane  
qui res gestas secundum litteræ narrant veritatem,  
spiritualem intelligentiam cognoscunt habere. *Psalmus filii Choræ*, per passionem Christi redimendum  
populum præfiguravit, quia Choræ interpretatur cal-  
varium, sicut Dominus noster Jesus Christus in loco  
Calvariæ crucifixus est. *Pro verbis Chusi filii Jemini*.  
Hoc est quod Chusi, relicto David, ad Absalon trans-  
lit, qui erat hostis patris sui, sicut Judas Christi. *In  
assumptione matutina*, quia Dominus resurgens mane  
assumptam reduxit captitatem ab inferis. *In prima*

**A** *Sabbati*, in ipsa resurrectione. *Priusquam liniretur*,  
antequam resurrectione clarificaretur. *In rememora-  
tione delictorum*, utique suorum. *Canticum graduum*,  
namque cœlestem designat ascensum. Psalmus ergo  
ille qui in medio canticorum graduum est, tanquam  
turris pulcherrima ponitur.

Sed nec hoc sine mysterio arbitror esse, quod hic  
liber in tribus quinquagenariis constat scriptus, quo-  
rum hoc, ut opinor, ratio est. Primus enim remis-  
sionem **1259** criminum præstat; secundus ad spem  
regni cœlestis invitat; tertius nos ad regnum æternæ  
beatitudinis in civitatem mittit.

Diapsalmæ vero quæ *semper* interpretantur, do-  
cent ut animæ *semper* in his exerceatur fidelis in-  
tentio.

### FRAGMENTA DUO EX COMMENTARIO IN PSALMOS.

(Eruta a D. J. Mabillon ex vetustissima collectione  
de virtutibus et vitiis in Cod. ms. sancti Martini Torna-  
censis.)

I. In capitulo de compunctione. GREG. TURONENSIS  
in Comm. in **1260** Psalm. Si enim disrupta fuerint  
vincula delictorum nostrorum, et delectata fuerit in  
Christo mens nostra, tunc nosmetipsos offerimus Deo  
hostiam vivam et sanctam, permanentes cum eo in  
cœlesti Jerusalem.

II. In ultimo capitulo de retributione Justorum.  
GREG. in Expositione Psalmorum. Et nos igitur si in  
præceptis Dei aures non obduramus, si sanctorum  
monita cum innocentia exsequamur, si nostrorum  
spinis facinorum non affligamur, si manus ab omni  
sanguine immunes cum innocentibus abluamus; ho-  
norabit nos Dominus Deus noster dignis præmiis,  
quibus sancti cum ipso perpetualiter collætantur. Ipsi  
gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in æter-  
num. Amen.